

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6425

**Auteur(s) :** Lucius III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Robert, Rouen, Saint-Lô (prieur)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1184, 24 avril

**Lieu d'émission :** Vérone

**Action juridique :** confirmation générale

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Bulle de Luce III confirmant au prieuré de Saint-Lô ses biens et revenus.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses priviléges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XXIII, p. 333-335.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 262, p. 356-357.

Texte établi d'après a

Lucius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Roberto Priori ecclesie Sancti Laudi Rothomagensis eiusque fratribus tam presentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum. Quotiens illud à nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur animo nos decet libenti concedere et potentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter dilecti in domino filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur et nullus de cetero in eadem ecclesia nisi regularis canonicus instituatur et nullus etiam nisi a vobis canonice electus prior subrogetur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessionem pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium et aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Brealtare enim cum ecclesia et decimis totius parrochie et forum in eadem villa quod concessit Henricus rex Anglorum cum consuetudinibus quas habent alia fora in Normannia et feodum quod tenebat Willelmus de Brealtari de Willelmo de Roumara. Aclou cum ecclesia et molendino. Unam prebendam in Burdineo cum ecclesia et molendino et duas partes decime quas tenebat Symon de burdeneo in dominio suo in eadem parrochia. Ecclesia de Blovilla cum decimis. Ecclesiam de Maisnilleo cum decimis. Decimas de Aqua pluta et de Escura. medietatem ecclesie de Agon et cimeterii cum medietate decime totius parrochie et totam ecclesiam sancti Ioannis de Rothomago. Ecclesiam de Rafetot cum pertinentiis suis. Ecclesiam de Frobervilla cum pertinentiis suis. Ecclesiam de Sancta Columba. In Birvilia terram et redditum

et quicquid iuris Gerardus de Fontibus ibi habuerit. Elemosinam Michaelis de Burdeneio scilicet mansuram et terram de balneatorio Simonis. Terram quoque de mara de Burdeneio. videlicet octo acras necnon et duas acras de terra quam tenuit Othelinus Grivele et prata que sunt inter prata canonicorum et pratum Bigoti. Terram de Dumo arborum cum pratis sicut in cartis predicti Michaelis continetur. Decimas de feodo episcopi Baiocensis in Rothomago. In festivitate Sancti Laudi de dominio Normannie unum cervum et sex solidos in moneta. Vnum aprum in festivitate Sancti Rumpharrii et decimas quasdam in Rothomago. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem vestram suscipere et eos absque ullius contradictione in vestro collegio retinere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decrevimus ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint nullus obsistat salva tamen iustitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Sane novalium vestrarum que propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimento vestrorum animalium nullus a vobis decimas presumat exigere. Obeunte vero te nunc eiusdem loci priore vel quolibet successore nullus ibi qualibet subreptionis astucia seu violencia preponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Augustini regulam providerint eligendum. Decrevimus ergo ut nulli hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare sed illibata omnia et integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura sedis apostolice salva auctoritate et Constanciensis episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini nostri iesu christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Dni nostri Iesu Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum Verone per manum Alberti Sancte Romane ecclesie cancellarii. VIII<sup>o</sup>. Kal. Maii inductione IIa incarnationis dominice anno m°. c°. LXXX<sup>o</sup>. IIII<sup>o</sup>. pontificatus vero Domini Lucii pape anno quarto.